Sapicha Casim. Leo.

Sobczyński Jan d.

Coenobii Częstochoviensis Fausta inter publicos applausus congratulatio.

F A V S T A·

Inter Publicos Applausus

CONGRATVLATIO

Sub auspicatum ex Bello Zaporouiano reditum,

Primumq; in sui Capitaneatus ORSENSIS

Felicem ingressum.

ILLVSTRISSIMI DOMINI

D. CASIMIRI LEONIS SAPIEHA M· D· L·

Pro-CANCELLARII

Orsensis, Volpensis, Lubosanensis, &c.

Capitanei.

E Voto DIVÆ CLAROMONTANÆ

Debitæ gratitudinis ergo

Nomine Cænobii Częstochouiensis

Vilnæ Luci publicæ

Die Decima Quinta Decembris

Exhibita.


ANNO

VIRGINEI PARTVS

M. DC. LI.

VILNÆ Typis Patrum Basilianorum ad Ædes Sanctissimæ Trinitatis.

GENTIS & MERITORVM INSIGNIA.



Os, Oculus, Lechici, Tu Cor, Animusq; Senatus,
Magnaq; Lithalicæ, gloria, Luxq;, Togæ,
Te tantum O quisquis nostro cognoscit in Orbe,
Magnum Te dicit prodigium esse Lechûm!
Gloria nec minor est Tua stemmata cernere, Gentis
Nec non Virtutis, Symbola Magna, Tuæ;
Cum GLADIO LVNÆ adstant, ASCIA, LILIA terna,
Tres LITVOS, VOLVCRIS Regia, corde gerit!
In medio CRVX bina nitet, petit astra SAGITTA.
Herculeo prorsus Schemata digna tholo?
Diuinum Clypeum, cui ROBVR; ODORq; VIGORq;
Nota DEO PIETAS, GLORIA; SPLENDOR inest,
Splendores Cæli & terræ Tua Stemmata nectunt;
Impletur gestis, Orbis vterq;, Tuis.

VOTIVA DEDICATIO

Religiosæ Apprecationis
Panegyricè Adornata
ILLVSTRISSIMO & MAGNIFICO

DNO PROCANCELLARIO

M. D. Lithuaniæ Dn̄no & Patrono
Colendissimo.

DEbitam post Deum, Tuæ ILLVSTRISSIMÆ Celsitudini auspicàte, ante decursum vnius Anni, DIVINISSIMÆ DIVÆ Nostræ, ex auro obrizo, pro asseruando SS. EVCHARISTIÆ Sacramento, elaboratam donanti pixidem, redditurus gratiarum actionem. Nil màgis è re facturum me existimaui, quàm vt Tibi, BENEFACTORVM MAXIMO, nuperrimè ex bello (si quod vnquam fuit in Regno periculorum plenissimum) integrâ salute redeunti, ac simul nouos, è merito Capitaneatus Oisensis apprehendenti fasces, religiosam, post aliorum sublimes Lauros, sisterem apprecationem. Et sanè non Generis tantum (quod antiquissimum, quia & perenni Senatorum susceßione est firmatum) sed & virtutis Tuæ (Hæc enim duo, Magnos Heroes faciunt) debes priuilegio, HEROS Illustrissime, Ne Tui Tibi possessionem Honoris, sine Literario quoq; adire liceat comitatu. Ergo dum plurimos alios Humanitate & Liberalitate Tuâ, deuinctos, Tuorum arbitros habes meritorum, qui Tibi ingredienti pompam faciunt aspectabilem; Nos Religiosæ vitæ cultores, si quomodo per eruditum fieri posset stylum, Munificæ Tuæ in DIVAM Nostram CLAROMONTANAM, Pietatis, eâdem occasione vellemus esse præcones. Neq; enim tutò à Tuæ stipatoribus gloriæ abesse possumus, qui Tua in nos collata beneficia, illaq; semper recentia, non solùm præ oculis habemus, sed & memoriâ colimus æternâ. Imus itaq; & si

aliquàntum à remoto Cœlo, fauſtis hiſce acclamationibus obuiam, Tuæ huic emeritæ dignitati, vt ita Honoris & Amoris vnum idemq; faciamus ſatellitium. Prout equidem non aliter huic Tuæ præſenti, quàm publicæ gratulari debemus felicitati, cuius indeficiens prouentus ad Vniuerſam æquè ſacram ac prophanam ſpectare videtur Rempublicam, vtpote quem citra omnem aſſentationem (qualem communiter vulgus in immeritos congerere ſolet Principes) Orthodoxa in Magno præſertim Ducatu Lithuaniæ, Religio ſingularem Patronum; Templa & Religioſi Ordines, Pientiſſimum Fundatorem; Literæ & Literati Munificum Mæcenatem, bella interea cum Rebellibus Acta & peracta Fortiſſimum Bellatorem, Curiæ, Tribunalia, Comitia Prudentiſſimum Senatorem. Fama publica vbiq; Regium, vbiq; Publicum, SAPIEHANVM inquam, agnoſcit & deprædicat Heroem. Atq; talem Te, cum ſæpè aliâs, tum verò his turbulentis temporibus, maximo ſuo bono, non Lithuania ſolùm, verùm vniuerſa experta eſt Polonia; quam inſigni Tuâ in Patriam pietate, incredibili ſtudio, ſumptibus infinitis, non manipulis, ſed integris ferè legionibus per tempeſtiuè ſubmiſſa præſidia, manu inſuper & pectoris Tui propugnaculo, ſatis ſtrenuè hactenus es tutatus. Vt vel ideo (Abi hinc, Magnorum Heroum æmula inuidia) Tibi ſuo Maximo Tutano, aut ante omnes, aut inter primos, integritatem debeat ſuam. Et ne priuatus hæc loqui cuipiam videar; Teſtem appello SERENISSIMVM ac Potentiſsimum REGEM noſtrum IOANNEM CASIMIRVM, qui Te MAGNVM ſuum VERVM ſuſpicere altiùs, Tuaq; exquirere conſilia impènſius, ex quô inſtitit, hucuſq; nunquam prudens deſiſtit. Laborum Tu ipſius ſingulare leuamen, fideliſq; adminiſter fueras, vt quaſi Atlante Rempublicam Polonam ſuſtentante, Cœlum Regio-CASIMIRIANVM in Te Herculem Lithuanicum ſecurè incumbere etiam nunc poſsit. Ita Tu illi præſtò vbiq; ades, quando & Pro ILLO & cum ILLO ſalubriter agere & peragere omnia etiam nunc non ceſſas. Atq; vel ideò, nouas nobis in Regno Lechico Ephe-

ſtionis,

ſtionis, Parmenionis, Stiliconis, Agryppæ, vel quotquot vſpiam in deliciis Regum, recentiorumuè Principum fuerunt, in Te vno reſuſcitas amicitias. Ecquid igitur æquè Sereniſsimi REGIS Noſtri gloriæ recens de hoſtibus partæ, ac Tuæ erga eum Fidelitatis, Vnum idèmq; non ſtatuatur theatrum? vt ſimul & ſemel cum Potentiſsimo REGE Noſtro tanquam eiuſdem belli, inter pleroſq; paucos, indiuiduus ſocius & moderator, eundem ſubeas pacis Arcum? Qui non Regni tantùm per tot Votorum diſcrimina ante triennium adeundi, atq; ad Solium Sarmatici Principatus euadendi; ſed belli quoq; cum fanaticis ſubditis, eorumq; Sociis, durâ in armis gente, crudeliſsimis ſcythis, duabus vicibus felicitèr, quia & pauco ſuorum ſanguine, magna gentis gloriâ confecti, Princeps conſiliarius & fortis vbiq; adiutor eidem extitiſti. Atq; hoc ipſo, & velut Victor Triumphalibus, & velut Vindex Ciuicis, & deniq; vt propugnator, Caſtrenſibus Laureis, à patriâ meritò redonandus. Poſtquam Sæpè alias quâ Domi ſciſſa, in variis conuentibus partium ſtudia, vel ſolius præſentiæ Tuæ conſpectu compoſuiſti; quâ foris diuerſorum Hoſtium clandeſtinas machinationes, ſæuum neſcio quid ſpirantes, prouidis tuæ prudentiæ Conſiliis præuertere conſuêſti. Quod haud ſcio, an Orator Pyrrhi Cyneas, aut ille tot palmarum Legatus Neſtor, Sagacis ſui ingenii dexteritate conficere profligareq; aliquando præſumpſiſſet. Et certè hanc omnem illamq; variam Regni, tum verò & SERENISSIMI REGIS noſtri fortunam, Tuæ ILLVSTRISSIMÆ Celſitudini è merito acceptam, refert Reſpublica. Neq; enim SERENISSIMVS Rex noſter; vti ad Solium, ita & ad bellum, iuxta æternum Fatorum nexum ſibi deſtinatum, æquè conſiliorum auſpiciis ac auxiliorum Tuorum præſidiis munitus, prodire vnquam voluit. Præibat ille, Tu ſequebaris; Imò OPTIMO & Bellicoſiſsimo REGI, Solâ illâq; rarâ prudentiâ & fortitudine ſua erectus, etiam præcurrebas, vt eundem POTENTISSIMVM CASIMIRVM, ex vtroq; faceres Regem. Et ſanè parem Te tanto negotio ſiue ornandâ, ſiue tutandâ eſſet

Patriâ, hactenus præstitisti Heroem. Donec tandem, quasi nihil pro amore illius egisses, non Tua tantum, sed insuper & Temetipsũ & quidem velut Phænicem, quia & MAXIMVM Domus SAPIEHANÆ Ornamentum, inquo vnico velut in annulo Pyrrhi, tot pergrandes Antecessorum animæ (quot operosa Archimedis, nequiuisset industria) concluduntur. Te, inquam, TANTVM & TALEM, pro nobili victimâ impendere haud es grauatus. Quidni igitur ad Tot Tuorũ meritorum prodigia, & ego Exoratorum minimus, idq; publico totius Ordinis mei Proto-Eremitici Nomine, cum hocce Religioso applausu non accurrerem, aut etiam Te SENATORVM AMPLISSIME, ex adeo periculoso bello, cum nouâ Honoris accessione, auspicatò redeuntem, hilari fronte, pandoq; non exciperem sinu? Et verò cum alia Virtutum Tuarum elogia, ex rebus Togâ & sago præclarè hactenus gestis comparata, scribentium fides, in Te consenescere nunquam patietur; A pietatis attamen Tuæ Laudibus nemo cessare etiam nunc deberet, quæ Corde Tuo Heroico velut gemma, puro illaqueata auro, clariùs cæteris elucescit. Vt nemo licet iam cœlo receptum Pientissimum Patrem Tuum. (Magnum illum in Repub. nostrâ Re & Nomine LEONem) abesse à terris ampliùs conqueratur, qui Te, æquè pium in Deum Diuosq; Tutelares successorem intuetur. Quibus Tu ipse, exemplo Maiorum, iam Aras affabrè factas, iam Monasteria basilicè dotata, Sacraria, Xenodochia, Collegia integra à fundamentis erigere non desistis; Talibus nimirum authoribus ingenerari Tibi toties memorata pietas, atq; circa promouendum Cultum diuinum, quasi hæreditaria inseri debuit Cupiditas. Absit itaq; vt aliquando diues lautaq; desinat esse, hæc Tua in Cælites Cælestiumq; ministros obseruantia, quâ solâ fretvs, plura, quàm numerari possint sæcula, iam inuasisti: Et cum alibi alia pietatis Tuæ erexisti Trophæa, In Monte Claro præter annuas, illasq; opulentas Eleemosynas, auro fusam Pixidem, aurei, donum in DIVIPAram Amoris, quæ sub candido Frugis Cælestis inuolucro, diuinissimum latentis Dei ipse conseruaret Corpus, Munificus Heros, è voto consecrasti; vt non minus rebus glorio-

gloriòse pro patriâ editis, aut etiam periculis pro integritate Reipub. incolumitateq; SERENISSIMI REGIS generosè toleratis, quàm singulari hâc erga Archimiraculosam DIVAM Nostram deuotione, hâc præsertim exsuccâ pietatis ætate, Illustrissimum Te præstares. Atqui totum id Religiosus hic meus, & quidem in genua positus, prosequitur Apollo. Reciproca siquidem, & nostra in Te BENEFACTORVM MAXIME, gratitudo; & Tua in DIVAM Nostram, à tot stupendis euentibus, admirandam, Munifica Pietas, (quæ gloriosiùs ad Aras, quàm nescio qualis in Capitolio Maiestas triumphare consueuit) quidni publicos non pateat in applausus, quam Tu publicam esse voluisti: Nisi quod timor est ingens, ne Eremiticus, & ideo fors inconditus Parnassus, in Conclaue tuum (quod & inaccessum est prudentiæ Capitolium) per tot doctissimarum Custodiarum excubias, de facili admittatur. Faciet attamen innata ILLVSTRISSIMÆ Tuæ Celsitudini clementia, vt post aliorum illosq; eruditos Fastos, quibus Magnum Tuum vbiq; celebratur nomen, has quoq; ex Eremo Paulinâ, siue etiam è rupibus Claromontanis prognatas Musas, non ad conspectum tantùm, sed ad benignum quoq; admittas sinum. Cæterùm si id etiam ob suam exilitatem non merentur. Faxo permittas illas quoq; è sinu Tuo cadere, sic enim stupentes & hærentes, ad venerationem facilius adrepent Tuam; vnde & Tu, quâ Comis es, ad manus habebis, quas erigas. Saltem in parte, non solatii modò, verùm & gloriæ habebo, quod ab Æneæ Magni dexterâ cadunt, id est, Tuæ, succumbunt Virtuti; Quis enim è pretio dignitatis Tuæ, de Te loqui vnqnam potuit? cum illâ ipsâ parte, quâ imparē excedis laudatorem; Tuam augens Celsitudinē, quæ in piè factis, Soli æternitati Pingit. Vnde & nobis minimis Exoratoribus Tuis, ô quantū perplacet? hoc solo æternitatis ære obstrictos esse? Nam si in continenti, totum, quod pro collatis in nos beneficijs debemus, solueremus; Quid amplius residui hæc ipsa æternitas haberet, quod solueret? Interim loco pignoris, vel Hypothecæ, hic tenuis religiosi nostri genii census sufficiat, quem in immensum Famæ Tuæ

thesaurum, acsi assem æreum, pro aliquot centenis aureis Nummis in Sacram profusis Pixidem, deponimus. Ac simul cum Nouo hoc Capitaneatus Honore, quem recens admittis, pro hoc ipso aureo anathemate, aureas horas, Dies, Menses, Annos aureos, auream felicitatem precamur, præconia, cum gratiarum actione, spargimus aurea. Quas omnes & singulas apprecationes, cùm toties pleno Ore ingeminamus, ijsdem affectum quoq; nostrum, pridem MAGNIFICENTISSIMÆ Tuæ Celsitudini consecratum, & mensuramus & finimus. In reliquo faxit Æterna illa MENS, vt Te abhinc, non solùm Benefactorem, sed & Ordinis Nostri Munificentissimum Fundatorem, potissimùm in hoc Amplissimo Ducatu Lithuaniæ nancisci valeamus. Tibi siquidem BENEFACTORVM OPTIME, hanc gloriam, & quidem in omnem posteritatem æternaturam, Numen Æternum reseruauit. Admitte itaq; ILLVSTRISSIME DNE. hanc adeò piam curam in animum, & votis de Tuâ, plusquam Heroicà; SAPIEHANA inquam, Magnificentià pridem conceptis (vt tandem in Tua Illustrissima fata, totus Meus Ordo transcriptus, è proximo alicubi Cœlo notior: Munificam Tuam demereri possit gratiam) SOSPES & AVSPEX FAVE.

Illustrissimæ Celsitudinis Tuæ

Suo & totius ordinis nomine

æternùm humilis exorator.

Fr. IOANNES DIONISYVS LOBZYNSKI
in Monte Claro Częstochouiensi
Ordinarius prædicator.

APPLA-

APPLAVSVS LYRICVS
HEROICIS VIRTVTIBVS.
Inter alios Summos quosq; Benefactores
ILLVSTRISSIMI DNI. PROCANCELLARII M. D. L.
Munificam, potissimùm erga Deum Diuamq;
CLAROMONTANAM PIETATEM
TVM VERO & CATHOLICVM, ERGA RELIGIONEM ORTHODOXAM ZELVM; & INSVPER
SINGVLAREM IN PATRIAM AMOREM,
Eiusdem Amplissimi Senatoris
Complectens.

SI meñs cruentum panderet Achilėæ
Dêxtræ duellum, vel mihi Vlyssei
Casus retexendi fuissent,
Mæonio graderer cothurno;
Si fors Sinonis claustra, vel exitus
Turni feroces, vel Cytherey
Herois errores, Latinas
Vi Superûm repetentis oras,
Aut bellicosi præmia Amilcaris,
Iunonis iras, atq; benigniùs
Didone Reginà receptum
Dardanium Veneris nepotem;
Si quis canendus conditionibus
Esset secundis, Attalus horreis,
Penu beatus, vel referti
Cûi Lybici famulantur agri;
Forsan fauentes Castalij gregis
Supplex vocassem Pieridum Deas,
Diuas sorores, Entheatum
Cecropis expeterem furorem

Laudes canorâ credite tibiâ
Ferrem ſub auras, plenus Apolline
Secutus Heroas Maronis
Aut genium Calabri Poëtæ.
Mentita tales Muſa decet, Viros
Contaminatis picta Coloribus
Quos ardor auræ præuolantis
Et volucris monumenta laudis
Tantum laborum, ferre potentibus
Pondus lacertis vix ſuperabile,
Vani hos coegerunt Triumphi
Siſipheam tolerare molem;
Nugæ Camænis eſte procul ſacris,
Poſthâc MARIAM non ab Apollinis
Mendace Cortinâ Vocatam
Empyreo celebrabo plectro
Quæ MONTE CLARO plena fauoribus,
Fuſiſq; Rogum diuitijs grauis
Ceriſq; doniſq;, & precatu,
Et Trabeis cumulata ſplendet;
Hanc celebrabo, quæ radiantibus
Ardens Smaragdis, VIRGO THEOTOCOS
Miranda latè detriumphat,
Lechiacam recreatq; gentem;
At quis valebit munificas opes
Dignis in æuum tollere laudibus?
Aurumq; ſacrum, quô niteſcunt
Atria, Virgineiq; poſtes?
Longùm ſacrati gloria Præſulis
Viuet LVBIENI, quem venerabilem
Auguſta Virtus fecit, atq;
Virginei pia cura cultus,
Proponet Orbi Munificentiam
Erecta Caro munere Præſulis
Sedes MARIÆ & prædicabit
Ipſa ſuum PIETAS Trophæum.

O dig-

O digne Sacro tu quoq; barbito
supreme Mysta Lithalici Soli
Longæua TYSZKIEVICIORVM
Progenies cumulata vittis:
Tui profanus non ego Syderis
Permista cœlo stemmata, inclytos
Patrum recensebo Triumphos
Continuas referamuè Ceras?
O sanctioris Relligiosior
Fundator es Tu Pennigerûm Chori
In MONTE CLARO, quos Clientes
Et studiis, precatuq; stipant.
Exurge Clio CHIOVIENSIVM
Mystam vicissim commemora, nefas
Metris indonatum sileri
Qui MARIÆ exhilarat penates,
Per Musicorum plausus, & argutas
De turre celsâ cum Lituis Lyras,
Queîs saxa, syluæ, stagna, Montes
Grandisono regemunt susurro.
Sed nec profundo Musa Silentio
Largam OSSOLINI munificentiæ
Laudem recondas, quam perennì
Posteritas memorabit æuo;
Loquuntur Aræ, quæ PIETAS manu
Tam Liberali VIRGINIS inclytæ
Ornauit ædes, nec tacebit
Ipsa memor PIA VIRGO doni
Quin & repostæ gloria Lampadis,
WARSZYCIANÆ Sydus adoreæ
Mansura, toto hoc orbe lucens
Per varias volitabit Oras.
Qui Cultor Almæ VIRGINIS, aureos
Accendit ignes, & vigilem Pharum
Appendit, olim tum sereno
Sydus, & hîc, radiabit astro.

Nec Te tacendum posthuma posteris
Dabit Dynastam, Fama nepotibus
LEONIS ô Magni propago,
Litthalici CASIMIRE splendor
Ingens Senatus, SAPIEHARVM decus;
Sacris MARIÆ Tu quoq; amoribus
Tostus, manu donas feraci
Largus opes superùm PARENTI;
Ad cuius ARAM, PIXIDIS aureæ
CHRISTI Satoris, quâ CARO, quâ CRvOR
Condatur, ingens munus addis
Magnifico radians metallo.
Quis iste grato murmure diffluens
Non vsitatæ fons opulentiæ
Demulcet aures? & disertos
Eloquij iubet ire fontes?
Rursumne diues, Conspicuos, Tagus
Ostentat amnes? aut rutilis fluit
Gazis Hydaspes? vel superbus
Gemmifero sonat ore Ganges.
Feliciores, quos PIETAS iubet
Manare fontes, quos pretiosior
Ducit SAPIEHARVM, à beato
Pectore, Diuus Amor MARIÆ,
Hinc liberali personat alueo
CLARIq; MONTIS collibus influit
Per sacra delubra, & per ipsas
VIRGINEAS fluit amnis ARAS,
O Magne Magni Progenies Patris
CASMIRE, Regni gloria maxima?
O perge per Diuùm theatra
Spargere opes fluidasq; gazas?
Hâc arte Magnum, Te PIETAS facit,
Gaudentq; Diui, quêis PIETAS Tua
Fidesq; cordi; Perge porrò
Colligere hâc Pietate Lauros.

Secu-

Securitatis Mater & vnica est
Cœli voluptas MVNIFICENTIA
Hoc quippe Te censes habere
Quod superis tribuis metallum.
Hæc sola Diuis Cælitibus data
Æterna restant, hic Amor aureus
Hic hamus est æternitatis
Hoc capitur Deus ipse reti.
Æterna summi Progenies Dei
Et Rex polorum, quo nisi fulgido
Debebat auro, vel micanti
CLARA PARENS radiare signo?
Non illa Gangis, vel rutilas Tagi
Auro fluentis poscit opes, Tuis
Contenta, quas fundis per ARAS
Perq; Sacros MARIÆ penates.
Non sic renato flammea, Phosphoro
Igni coruscat, Cæsaries, nouam
Sparsura Lucem; dedicata
vt radiat Tua PIXIS auro?
O Te beatum? cûi licuit Dei
Corpus sub auro condere Cælicum;
Effecit hoc Diuinus ardor,
Pectore quem niueo recondis.
Quin & sacrorum Cælituum Tibi
Est cura, quorum non populariter
Cultu recenti, sacra membra
Et cineres veneraris ipsos.
Forti rubentem sanguine Martyrem
Litthala tellus Indigetem sibi
Nuper cooptauit Patronum,
Schismatica hunc peremit Tyrannis,
Fluxêre riui, sanguineum mare
Largi cruoris, corpore de sacro
Manauit, ô quando rebellis
Gens niueos laniabat artus!

Nefanda proles nos Cineres sacros
Spectare iussit IOSAPHATI inclyti,
Argenteum cuî Tu sepulchrum,
Sarcophagumque locas stupendum;
O digne Cœlo! Te PIETAS duce
Formosa Lechûm rura perambulat,
Diuesque Maiestate rerum
Crescit honor pretiumque Diuis;
Queîs templa condis, condis & aureas
Vestes, superbis Cælituum domus
Donis refulgent, ac in ostro
Indigetès radiantque Sacri;
Diuinioris Munificentiæ
Numen supremum munera prouehat
In Te, renascentes, neque olim
Inuideant Tibi Fata, cæptus.
Nec hic Tuarum sistitur alueus
Laudum; laborant sæcula Nomini
Tuo, Nouennes & sorores
Facta modis celebrantque magnis.
Stupendus Heros stabis in aureo
Splendens Olympo, Pectoris id Tui
Æstus Sacratus, quô cor ardet,
Zelus id & Pietas meretur.
Hoc igne pulsa est Bestia Lilio,
Et Genuensi stigmate nobilis
Ex vrbe VILNANA, proculque
Tota tremens latitat sub vmbris.
Direpta vidi, vidi ego Tartari
Arma, & retortas terga super manus,
Victam Hæresim vidi, rebellis
Cum rueret superata iure;
Ex vrbe vidi Principe Littâlum
Pulsam, periclûm cûi satis horridum
Parabat? exoso tumultu
Continuas minitans ruinas,

Non

Non Hydra fictum cæsa per Herculem;
Tam firma in ipsum cresceret Herculem.
Vt pestis isthæc, prôh nefanda
Tartareos glomerat furores!
Quos Magnus Heros SAPIEHARVM domo
Prognatus, Vrbe in Gedeminiâ
Cessare fecit, clamat omne
Vulgus Io! ter Io triumphe!
Qualis Cometes purpureum iubar
Spargens minaci lumine fulgurat,
Abominati Martis, ardens
Nuntius, horribilisque cladis
Exterret Vrbes, hêu quibus horrido
Cruentus igni nuntiat hostium
Turmas, quibus Regnis, quibusue
Bella, famemque minatur aruis;
Talem videndum se dedit Hæresi
Ille Ille Vindex, fulmine cum Ocyor
Ibat per obstantes cateruas
Catholicâ pietate fretus.
Virtus honesto clara periculo
Accendit illum, quò generosiùs
Assultus hostiles, minasque
Vinceret, obrueretque sontes.
SAPIESIANO præsidio tenes
Defensa famam, VILNA Tuum decus.
Aduersus hostiles cohortes,
Te LEO Magnificus tuetur.
Felicitatis VILNA beatior
Excede fines, clangite buccinæ,
Cessêre fraudes Caluinenses
Progenitæ stygio ministro.
Secura Tanti nomine Præstitis
Armata ferro Bis GEMINÆ CRVCIS,
Aude per Orbem ferre nomen,
Per populos & per ora Vatum?

Attolle lætum Religio Caput
Sparsosq; crines collige comptior,
Aude sub hoc Horoe constans
Hæreticas iugulare pestes?
Et tu quid atrox schisma leuas caput?
Quorsum cruentos ducis acinaces?
Duras reconcinnans bipennes
Ignibus Orcicôlum recoctas?
Ah frustra hianti bellua conspicis,
Rictu feroces contrahe Spiritus,
Istosq; dirarum furores
Cohibeas reuocesq; fastum.
Frustra minaci robore perstrepis,
Héu Russe, frustra belligeras cies
In bella turmas, ferreumq;
Pondus humo geminas ferendum!
Frustra Gradiuo falciferum Getam
Iungis quietæ Moschouiæ truces
Frustra Dracones addis, amplas
Vt superes Lechidum Cateruas!
Frustra feroces in iugulum Lechi
Minaris enses grandisonantibus
Confisus armis, cum Gradiuo
Ferrisonas sociasq; dextras;
Amens Supremo prælia Numini
Infers pudendum, nec reuocabile
Heu Russe crimen! fata Diuûm
Supplicium meditantur atrox;
Hic hic Vir, atro turbine quam citò
Voluuntur vndæ, vel stipulæ leues,
Vos ipse, vos vnâ tremendâ
Præcipites feriet ruinâ.
Hoc vult sacrati Stemmatis inclytus
Splendor, SAGITTÆ postulat id iubar,
Candore diuinoq; Zelo
Horrida monstra procul repellet.

SAPIE-

SAPIESIANI ô gloria ſanguinis
Multis timendum promoueas gradum;
O perge felix perduelles
Fundere humi ſine clade victor!
Sis qualis Ales Magnanimus Iouis,
Quando doloſam fertur in aſpidem,
Nil fraude præſtantis Veneni
Letiferum remorante roſtrum;
I perge miles, rumpite tympana,
Vixilla caſtris pandite Martia,
Magni LEONIS Signa contra
Ferte, truces fugient Latrones.
Nec vota fallunt, rebus in aſperis
Spectata virtus eſt Tua, laudibus
Incumbe tantis, & recentes
Iungito præteritis Triumphos.
Ceſſet tumenti, Te Duce bellua
Vultu minaces fingere ſpiritus,
Ceſſent furorum tumultus,
Perfidiæq; doliq; ceſſent;
Rebelle vulgus prô rabiem ſuam
Frænet, fideli Pax bona pariêti
Affigat enſes, & quietem
Mars poſitis veneretur armis,
Sat ſat flagrantem Tyſiphone Facem
Latè per Vrbes Lechiacas tulit,
Sat plena ciuilis ruinæ
Mœnia ſollicitata bello.
Formidoloſæ ſigna licentiæ
Confringe ferro, quin Geticum ſimul
Robur, per obſtantes cateruas
KOZACIKAS perimaſq; turmas.
O Tu potentis gemma Poloniæ!
Fac purpurato lumine, Thracicum
Tegatur aſtrum, fac rebellem
Imperio ſubigas popellum.

Et per eruenti bella periculi
Viuace pergas pectore, Martiam
Vrgere laudem per Gradiuum
Lechiacas numerare palmas.
I fulguranti fulmine fortior!
I fulminanti fulgure promptior!
Id Sarmatarum vota poſcunt,
Id Patriæ populiq; plauſus!
Hac arte præſtans impiger Hercules,
Quod peſtilentis fœda licentiæ
Exempla, quod Lernam malorum
Suſtulit illuuiemq; tetram;
Proles ſuperni creditus eſt Iouis:
Heros viciſsim; Tu nouus Hercules
Hæc monſtra diuino fauore,
Corripe SAPIEHANâq; dextrâ;
Aſſurge tantum, namq; potes POTENS,
Quodeunq; CHRISTI Relligio iubet,
Vindexq; ſeruatorq; Veræ
Sis Fidei, Patriæq; cuſtos.
Vel ſolus inſtar machinæ Atlanticæ
Sufferto vaſtæ pondera Lechiæ,
Nunquam fatigantem toroſis
Excutiens generoſus armis.
Sic læta terram Lechiadum quies
Perfundet, Hoſtis diſcutiens minas,
Tutore Te protecta tanto
Plauſus aget, faciet triumphos.
Hæc vota pro Te, non ſine Laureis
Appendo ſupplex, Cœlicôlum Deæ,
Quæ MONTE CLARO detriumphat,
Accumulans pia vota votis.
O Viue fauſtus lumine gloriæ
Longos in Annos, fauſtior occupa
Honoris ædes; Viue SOSPES,
Relligionis honore creſce!

Sic

Sic inchoati gloria Nominis
SAPIESIANI, annos creſcet in vltimos,
Et dignitatem dignitati
Vltro dabit numeroſa virtus.
Quin & volutis aurea ſæculis
Decurret ætas omine dextero;
Nec ludimur, deſiderantem
Spes animum neq; fallit augur,
Quod Te nec vrens ſole dies graui,
Nec Luna pernox luminis algidi,
Iniuriæ non impetentes
Ætheris afficient maligni,
Cuſtos eunti dextra vigil Dei,
Cuſtos reuerſo ſe comitem dabit,
Ac perbeatâ ſoſpitabit
Teq; tuamq; domum ſalute.
Sic Te labores pro Patriâ & Deo
Celſis ſtupendum ſedibus inſerent,
Seu fata pacis deſtinarint,
Siue ſagi roſeum Trophæum.
Hinc longa fies gloria poſteris,
Cum Te inuidendum Fama nepotibus
Proponet exemplum, memorq;
Magnifico celebrabit ore.
Tandem, ſed olim, Patria poſt quater
Emenſa magni ſæcula Neſtoris,
Te inter Littauorum Sacratos
Indigetes numerabit vltro!
Tunc tunc beatæ Te referent Lyræ
Adſcripte Diuis; ſit ſatis interim
Dicaris Orbi; COR LITHâVVM,
DELICIÆ, CHARITESq; REGñ.
Audiuit ingens Æther, & ætheris
Regina terrarum & pelagi potens,
Fauſtoq; per cælum ſuſurro
Intonuit, micuêre ſtellæ;

Phæbus dierum ac temporis arbiter
Risit serenus, læta tonitrua
Mugire cœlo visa, faustis
Ignibus erubuêre nubes.
Absiste liuor. Te Patriæ iubar
Vult esse cælum. Sic Tibi Patria,
Sic fata, sic Lechi precantur,
Sic Superi voluêre fixum.
Hîc stare iussit Calliope chelym,
CHordasq; & ictos continuit sonos,
Tuis Stupendis prorsus impar
Laudibus, inferiorq; gestis.

INSCRIPTIO

AVRO ELABORATÆ PIXIDIS
Quam pro Sacro Anathemate, in signum aurei, erga
DIVAM CLAROMONTANAM,
Amoris.
Ad asseruandum SS. EVCHARISTIÆ

SACRAMENTVM

Idem Munificentissimus Benefactor,
Ad Aram eiusdem DIVÆ
Anno Magni Iubilei
Obtulit.

SCRI-



SCRIBENDI LIBERTATEM

Sumere à Tuâ placet Liberalitate.

ILLVSTRISSIME & PROCANCELLARIE.

Cuius

Munificæ Pietati

Totum id Sacrum esto.

Magno nimirum Benefactori

MONS CLARVS

Magnum Vectigal pendit,

GRATITVDINEM & VENERATIONEM.

Quæ duo melius in Vultu, quàm in paginâ leguntur.

Quia & sentiuntur màgis, quàm scribuntur Beneficia.

Sed nec à longè laudum Tuarum petenda fuit dicendi materies,

Cæcus sim, nisi copiosum laudationis, in pretioso metallo

Videam argumentum.

F

Quod

Quod dum Oculos perstringit, insimul & ad animum fulgorem transmittit suum.
Cuius pulchritudine mens illecta
Et ab ingenti opere, quasi lassa,
Propter accuratum Verborũ honorẽ, amittere multas, admirationes
Cogitur.
Vsq; adeo rara Tua Liberalitas, omnium nostrûm fatigat ingenia,
Vt nullibi integra esse possint.
Ergo dũ alij Piæ Tuæ munificentiæ sublimè suspiciunt nomen,
Nos in pectus deiecto Capite, ipsam Pietatem veneramur.
Ita hîc nobis, nonnisi prostratis Oratoribus esse licet?
Quos auro grauida Pietas Tua, prorsus reclines facit.
Vt Præ magnitudine Beneficij depressa, vix sese erigere valeat Oratio.
Hinc nata ista, quæ vides, interpunctionum interualla;
Non quod parci in Tuam amplissimam simus Fortunam,
Verùm vt Tibi MAGNO suo VERO
Per humiles periodos, Sæpiùs inclinata, quasi recollecto
Spiritu, noua semper assurgant Elogia;
Et sanè meruit hoc inuentum, auro radians Pietas Tua
Quam Tu raro deuotionis exemplo, in MONTE CLARO, omnib9,
in Pixide Aurea, aspectabilem fecisti.
Quare Priuatæ hinc excste GRATIÆ;
Publica beneficia publicum amant theatrum.
O SALVE iterum.
Benefactorum Munificentissime!
Cvi
Nulla vnquam fuit cum opibus dimicatio;
Nam quæ alicubi tenacitate in fundo concludi volunt;
Aut etiam prodigalitate effundi petunt;
Apud Te plenâ crescunt & excrescunt Liberalitate.
Non aliter enim Te, quàm Ægyptus suum amnem,
Vniuersa colit Respublica.
Absit vt Tuis facultatibus aliquid fabulosa affingat vetustas,
Alibi mendacijs involuti laudentur prouentus,
Apud Te veritas, innoxijs semper præfuit opibus;
Sub quorum pretioso onere, Pietas nunqnam fatiscit;
Faxo

Faxo pretioso alij thesaurorum damno, Gloriam lucrentur,
Alij nimiâ erogatione Potentiam suam augeant
Tibi Basilica Munificentia in vtroq; nomen facit.
Atq; dum aliorum exhaurit thesauros, Tuum auget.
Vt per tot ostia Nilum exundare, non in vanum quisquam existimet.
Ita Tu in Religionem ampliandam; Libertatem tutandam; Reges
Ornandos; Patriam conseruandam; Militiam promouendam;
Literas propagandas; vbertatem vbiq; effundis Tuam.
Et cum cæteris in rebus moderatissimus censeris
In solâ liberalitate quasi modum tenere nescias.
Hæc nimirum Tua est fuitq; semper fæcunditas,
In bono publico augendo, non esse infæcundum.
Atq; sic quidem satis prouidè, ante Vltima Fata iam Famã Hæredẽ in-
Aureus ipse vel ideo dicendus, (stituis,
Quod auream animam, vt ait Poëta, sui largam, à Deo acceperis.
Heroum enim Mentes auro fusas esse, Plato alicubi edisserit.
Hesiodus etiam aureos dicere non dubitauit, quos Munificentiæ
Celsitudo, supra inuidiam cætêrorum extulit.
Non obligandis mortalium solùm, Verùm & corrumpendis
Cælestium mentibus natos.
Certè inter plurima Tuæ Liberalitatis argumenta,
Pixis hæc aurea, Maximum Pietatis est indicium.
Quâ Tu Diuam Auream, es muneratus.
Ita nimirum Diuus, in Deum sub Speciebus Panis latitantem, ardor,
Ardensq; in Diuiparam mentis propensio
Aut SAPIEHIS innascitur, aut cum illis adolescit?
Quâ in re, Tu Nobis instar omnium,
Quia & nullibi màgis Catholicus, quã in hoc sacro conspiceris auro.
Prorsusq; nihil Tuum esse putas,
Nisi quod Deo & Dei Parenti sacrum facis.
Quis crederet?
Etiam Deum auro capi posse?
Diuinum omnino artificium
Instrumentum auaritiæ, in Supellectilem beneficentiæ vertere.
O Te Felicem!
Cui in CLARO MONTE aurum seminare licuit!

 Vnde

Vnde fertiliorem, quàm è Cypri agro, messim sis percepturus.
Atq; cum alijs Principibus, aureo piscari hamo, vitio datum,
Tibi auro, Deum intercludere gloriosè concessum;
O Quantus abhinc futurus;
Qui & ferro Contra hostes
Et auro contra Deum pugnare nosti!
Cedant igitur quævis alia pretiosa è MONTE CLARO donaria,
Quia & nullum aliud Tuo hoc Sanctius metallum.
Nam cum aliorum pia parietibus affixa hærent Vota;
Tuum intra Sancta Sanctorum Deum sinu complectitur suo.
Pixis Tua, Dei Domus est;
Horreum est, ad asservandum Frumentum Electorum destinatum,
Vbi & Deus suas habet delicias, & Ara VIRGINIS suum
Splendorem.
Prorsus aureum Tuo Nomini induxisti titulum,
Dum aurum, auri Domino es largitus.
Indignum ratus, auro mensas, aut etiam Palatia Splendere,
Si sacræ, ab auro non splendeant ARÆ.
Obscuros plerumq; illustrat aurum collectum,
Te ILLVSTRISSIMVM reddit sic dispensatum.
Et quod Seruitutis olim fuerat Vectigal;
Tu Amoris fecisti,
Vt merito, si quid alicubi luxus in poculis aureis peccauit,
Hic Sacra expiat Pixis.
Verbo dicam.
Aurea Tua Pietas in auro conspicitur.
Quando in auri pretio, erga Deum pretiosa charitas,
In fulgore etiam Deuotionis splendor erga MARIAM collucet.
Vt pote, qui pridem CHRO & MARIÆ cor aureum deuoueras;
Nunc Pixidem auream (cordis nimirum thecam)
Quidni ijsdem consecrares?
Vt vbi cor Tuum est, ibidem & Thesaurus Tuus esset.
Omnino non temerè in mare Gratiarum aurum proiecisti: Emersurũ
in æternitate, quam sic emis.
Prudens non minùs, quàm Pius Senator,
Qui Sacro æternitatem fæneraris auro.

Et ne

Et ne quid Fatis debeas,
Deum Tibi constituis debitorem;
Apud quem, sic Tuæ Liberalitatis locas promerita
Vt censu meliore, ad Te ipsum redeant.
Discite Magnates
Et Deum & Cælites auro demereri,
A MVNIFICENTISSIMO PROCANCELLARIO;
Qui per tot terrarum dissitas oras
Aurum & Argentum suum explicauit;
Quando Vilnæ ad ARAM D. CASIMIRI Tutelaris sui, aureum
pro offerendo diuinissimo Xi. Sanguine, calicem;
CZESTOCHOVIÆ Pixidem, pro distribuendo eiusdem
Soteris Nostri Sacratissimo Corpore, itidem auream;
POLOCIÆ pro asseruandis Sacris, B. IOSAPHATI
Martyris, Reliquijs, etiam Sarcophagum argenteum,
In perpetuum, Piæ suæ Munificentiæ, erexit Trophæum.
O Verè inexhaustum est.
SAPIEHARVM ÆRARIVM!
Ex quô, cum plurima alia subsidia & ornamenta, Polona
haurire non cessat Respub.
Adhuc inuenit,
Quô Deum in terris Hominem, sub sacris, (Diuinissimæ Frugis
& Vini!) inuolucris, absconditum
adornaret.
O MIRVM!
Stupet hanc Munificentiam terra,
Stupet Cælum!
In Supplici nimirum auro, immensam Cælorum
magnitudinem inclusam?
Sit Satis dixisse,
Dum CASIMIRVM LEONEM SAPIEHAM.
In Deum; In Cælites; In Patriam;
Munificum memoro;
Fontem perennis Liberalitatis, quasi digito ostendo.
Nec plura his addo.
Quia nec Elogiorum maiore copiâ, Te Benefactorum
Maximum, grauare Volo.
Cum satis Tibi grandem texuit Panegyrim

 Quisquis

Quiſquis Te, DEI DIVÆq́ CLAROMONTANÆ, Aurei Benefa-
Compendioſo nobilitauit Encomio. (ctoris
O igitur Te Aureum Męcenatem
Aureo quouis dignisſimum Calamo!
Atq́ vtinam tantum Muſis & Apollini in Tuum
hoc liceret aurum!
Vt typo aureo etiam æternitati, cui ſic pingis,
tradi poſsit!
Aſt hoc non niſi Votum eſt meum,
Cum Beneficium totum ſit Tuum.
Et quoniam inſuper argutè licet expolitum ſermonem,
per ſe fulgens, procul excludit aurum,
Hunc quoq́ protinus abrumpo;
Quorſum enim torno elaborata facundia?
Vbi Religioſus declamat affectus?
Longeq́ clariùs omnis beneficentia luceat in memoriâ,
Quàm vt exſuccis Verborum expoliri poſsit argutijs;
Quæ Quantæ quantæ ſunt eruntuè,
Tuum nunquam (qui perennis eſt) exhaurient theſaurum.
Singularis amplius in Tuis laudibus eſſe nolo,
Quando nec Singulæ dici queunt, nec taceri omnes.
Eò enim meritis Virtutibusq́ Tuis proceſsiſti, Quô Oratorum
ſtudia non accedunt.
Si quid attamen, de hoc etiam Tuo aureo, ſtyli huius audaciâ,
detractum eſt donario,
Totum id Opt. Max. Pollens, Potens,
Suprema CLARI MONTIS Præſes
Patrona Tua Soſpita.
Cæleſtibus ſuis recompenſabit donis.
Illico reſponſuram Tuæ Fidei, MATREM SPEI, ne dubita!
Regalis illa genij cum ſit, Vinci ſe à Vincentibus non ſinet.
Omnino Nihil ei tam Cordi eſt, quàm Clientum deſiderijs,
Vel cum naturæ præiudicio, morem gerere,
Et quia VERBI ÆTERNI eſt MATER, verbum eliberabit ſuum
Ipſo atteſtante
Qui omnia nos per MARIAM; in MARIA, de MARIA,
Habere voluit.
Secus de illâ ſentire, piaculum eſt.

In hac

In hâc itaq; diuite Venâ, & Tu ILLVSTRISSIME Domine
Totas Spes colloca Tuas.
Et ne tardioris Cæli fidem desideres,
Seriùs citiùs ad reliqua beneficia, & illud insuper
adiiciet Vnicum.
(Si tamen & illud, me Vatem, impunè dicere permittis)
Votiuum pignus optato pignore repensura.
TE Aurea Virgo beabit
Et Magnum faciet generosâ prole Parentem
Ne plenos laudum, numeres sine pignore, Fastos.
Audi hæc Vota DEVS!
Audi & Tu Diuinissima DIVA Nostra!
Quia & Pia, & Iusta sunt!
Ita vouet? Ita supplex perorat?
Perdius & Pernox
Tecum & Pro Te
ILLVSTRISSIME ProCANCELLARIE.
Ad Aram. eiusdem Archimiraculosæ DIVÆ
æternùm deuotus
Mons Clarus CZęSTOCHOVIENSIS.

CORONIS HONORARIA.

HÆc habui ILLVSTRISSIME Dñe, quæ pro argumento gratitudinis, memor beneficiorum, Vocalis effudit calamus. Pauca quidem, quia & à tenùiter laboranti stylo, profusa elogia. Nisi quod & votorum Cælestium plenissima. Et quia in gratiam Piæ Tuæ Liberalitatis, haud aliunde, quàm à Tuo supplici auro profluxerunt, non prorsus vilia, quia Te continent, censenda. Lumen illis totum, ex virtutum Tuarum nitore, Pondus etiam ab authoritate Tuâ. Et certe non aliud dignius, in parsimoniâ meâ Religiosâ, inuenire potui munus, quam Te Aureum Benefactorem, Tuo hoc in aureo donario, gratulatorijs istis imprimere notis. Inanium siqui-

dem est mentium, emendicatis frui præconijs, cum emerita Virtus, qualis est Tua, uberem de se vbiq; & materiam porrigat, & faciat triumphum. Integra itaq; Tui cultus, erga Diuinissimam DIVAM Nostram, magnitudo, ad Te suum redit Authorem; vt quidquid à Te Benefactorum Maximo, prodijt in Exemplum, totum id etiam debitum recurrat ad cumulum. Secus in publicam, Nostram, Tuamq; peccassem Fortunam, nisi hoc grati animi, & quidem publico, totius Ordinis mei, nomine, amplissimo Tuo Nomini impendissem vectigal. Saltem raram hanc Tuam Pietatem, tacitus Spectare non potui, quæ voto, Ore, plausu omnium celebratur, atq; vel ipsis Syderibus Dominum infert, Nec vlterius Calamum promoueo, cum finitimam esse sciam Satietatem Suauitati. Ergo qui plerasq; Tuas (& si id quoq; Summis, vt aiunt, digitis) Heroicas, inquam, Virtutes, non sine faustâ congratulatione Noui huius Honoris (quem tenuem Magnorum meritorum ausim appellare vmbram, vt pote qui naturâ suâ cupidus Honesti, in lucra magis Patriæ, quàm in speciem Honoris es intentior) hactenus sum elocutus; Breui Admiranda quoq; DIVÆ Nostræ, quibus in MONTE CLARO, etiam nunc clarere non cessat; Sub Illustribus Tuis Auspicijs, quô & Fidem eliberem meam, & Tuo pientissimo satisfaciam desiderio, in lucem emittere non tardabo. Præsto enim, non in herbâ, sed in messe sunt mihi omnia. Deus Te interea, HEROVM MAXIME, diu Religioni Orthodoxæ, diu Patriæ, diu Familiæ, diu bonis omnibus, Nobis insuper, saluum seruet & florentem. Immortalem enim Te Benefactorem (vt iterum atq; iterum in vota precesq; assurgam) imò si ita DEO visum, etiam Fundatorem, Et esse Volumus, & si iubes, iam habemus.